QUÆDAM DE EDUCATIONE PHYSICA INFANTUM DISSERTATIO…

Alessandro De Mori

Quaedam

de

Educatione Physica Infantum

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Medicam Coronam obtinendam

proposuit

ALEXANDER DE' MORI

Cenetensis



Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII.



Amatissimi Zii

A voi che me orfanello accoglieste, a voi per cui non mi furono straniere le gioje dell'amor filiale, a voi che mi avete condotto alla meta sospirata c h'oggi raggiungo siano sacre queste poche pagine.

Di quanto non vi son io debitore! anche l'odierna festa da voi la ripeto.

Accettate dunque l'offerta, e generosi non vogliate por mente alla povertà della stessa, ma ricordate che, essendo il primo lavoro delle deboli forze d' un giovane, ha almeno il merito delle primizie, e che il cuore dell' offerente è per voi penetrato di vivissima ed immancabile riconoscenza.

Il Vostro Affezionatis. Nipote
ALESSANDRO DE' MORI

Principiis obsta.
Ovid.

Praestans, quo Medicus fungitur, munus non modo praecipit ut ipse singulo aegrotanti salutem restituere conetur, sed etiam ut totius populi firmae valetudini omni studio provideat, atque a morbis incolumem societatem universam tueatur. Si vero attente perpendamus unde morbi plerique humanum genus afflictantes originem sumant, primae aetatis educationis corporeae neglectum recensere debemus. Infans revera ex utero vix egressus rerum externarum novum et insuetum stimulum aegre fert, et male certe afficeretur, ni provida natura ipsiusque ministri parentes debilis neonati infirmae existentiae opem auxiliumque ferrent.

Summi ergo momenti argumentum suscipiens, physicam nempe infantum educationem, praecipua exponam externa agentia, quae in pueri valetudinem praestantem influxum exercent, atque de ipsorum actione disserere conabor, adjungens quomodo pro varia pueri conditione adhiberi debeant.

Educationis nomini sensum non tribuimus,

qui communiter accipitur, scilicet hoc verbo non intelligimus pueri in bonis literis institutionem, sed propius accedentes ad veterum educationis definitionem, qui hoc nomine fere nutritionem distinguebant « educat nutrix » hygienem infantum proponere tentamus. Educatio vero physica a morali sejungi nequit quapropter haec cum illa saepissime nectitur.

Generaliter monendum quod melior infantum educatio illa sit, quae minus a naturae legibus recedit, ipsiusque nutus diligentissime sequi studet; talique pacto solummodo sententiae rite adversari possumus, qua Rousseau contendit, quod omnia e Creatoris manibus optima prodeuntia intra manus hominis degenerent.

Aëris in infantem influxus summi est faciendus, prima enim existentiae extrauterinae periodo aëris stimulus vitam et functionem organi prius omnino inertis excitare valet, viarum nempe respirationis. Adde praeterea aëris actionem supra cutem et membranas mucosas aliaque interna systemata, cum quibus periphericae partes stricte nectuntur; talique ratione patebit vis summa aëris in organismum, et morbosae non modo sed etiam salutares mutationes, quae pro varia aëris qualitate locum habent, facili negotio declarabuntur.

Jam diximus quod aëris stimulus novus omnino sit, infante in lucem vix edito, quod pulmones prima vice suam expleant functionem, et consequenter quod tum minimo vigore gaudeant. Hisce omnibus collectis clare patet quod ita aëris actio sit moderanda ut novus stimulus mitiori agat vi, ut inde minorem infirmi organismi reactionem excitet. Nec docendum quod jam initio puer validioribus stimulis exponendus sit ut sub ipsorum actione validius robur acquirat; nam nisi agentium, quae majorem vim exerunt, actionem plenam sensim sensimque experiretur, quomodo a novo stimulo et ab immodica reactione defendi posset?

Neonatus ergo, qui in utero materno temperiei mitis et aequalis beneficio fruebatur, qui cutem tenellam et delicatulam praesentat, certe frigidi aëris actioni expositus occumberet.

Primis igitur vitae extrauterinae diebus, quum infans calore quam maxime indigeat, sub tepente atmosphaera spirare debet; haecque frigidior sensim est concedenda quum, aetate crescente, vigor invalescat. Primis diebus transactis, ut aërem moderate calidum sufferre queat, solis radiis vel aëri ab igne modice calefacto est infans exponendus. Quamvis maternus calor infantis calorem fovere optime valeat, non est tamen suadendum ut eodem le-

cto mater et filius incumbant, ne stragula vel ipsa matris membra neonati respirationem quomodocunque impedire et, uti eheu nimis frequenter contigit, suffocationem inducere valeant.

Temporis progressu aëri frigiudiusculo infans prudenter exponatur, donec liberae atmosphaerae et ipsius vicissitudinibus assuescat. Cunae vero ab aëre perflante sunt defendendae, sub somno enim hujusce nocentis potentiae actio pejus organismum afficit.

A prima jam aetate, immo a primae vitae diebus, infans sensim sensimque assuefiat lotionibus frigidis et balneis, quibus corpus roboratur, et aëris perflantis effectus noxii facillime arceantur.

Aetate progrediente aër liber, siccus, electrico refertus est concedendus; rura et montes prae civitatibus et vallibus infantibus conveniunt. Omni studio aër humidus, impurus, qualis in paludibus locisque depressis flat, est vitandus; hic enim aër respirationis processui adversatur, atque exinde plures cachexiae originem repetunt.

Aër liber, purus non modo a pluribus morbis praeservat, sed etiam plerosque sanat, ita non raro etiam cretinos et strumosos salutem reparare, vel saltem melius se habere videre est, aëris conditione solummodo mutata.

Exposita ratione respirationis organa validiora fiunt ita, ut pubertatis tempore perfectiorem evolutionem attingant, et tum difficilius morbi pectoris, alioquin communissimi, in scenam prodeant; talique pacto pulmones, aëris vicissitudinibus jam initio assueti, atmosphaerae peccanti et nocivae validius resistere possunt.

Quum de respiratione sermo habeatur aliquid de fletu addendum esse arbitror. Non semper prudens et diligens mater infantis fletum sedare debet, quae cupit ipsi concedendo — talique pacto praeter moralem utilitatem, quae neminem latet, etiam physicam obtinemus; sub fletu modico enim melius organa respirationis evolvuntur et majorem activitatem acquirunt.

Non minoris momenti locum in hygiene infantum vestes merentur.

Vestes tales sint ut corpus tenellum ab intemperie caeli defendant, nec membrorum motum impediant. Quamvis hoc praeceptum simplicissimum sit, id saepe ignorantia vel etiam malitia sprevit, non raro enim matres et frequentius mercenariae nutrices crudeles fasciis quasi catenis aut torculare infantes stringunt ita, ut ipsis motum quemcunque negent et aliquando ipsam respirationem summopere dif-

ficilem reddant, ut interim ipsae libere suis officiis incumbant, miserorum irritos nisus et poenas despicientes.

Donec caput capillos desiderat mitra tegatur, haec vero nimium calorem fovere non debet, nam tali ratione exhalationem cutaneam ultra normam intendendo, morbi plerique exanthematici, praesertim capillitium vexantes, evolvuntur. Mitra sub mento non est liganda, nam ita deglutitio vel respiratio plus minus impediuntur. Fasciae, quae mentum pectori adplicant eo scopo, ut capitis retrorsum flexio vitetur non juvant immo nocent, mater enim diligens manu caput parvuli sustinet, et fascia stringens motus impedit diversisque conformationis vitis favet.

Quum capilli jam adsunt quidquid extraneum caput tegit supervacaneum est. Pileus levis e stramine confectus a solis radiis puerulum defendat. Coma hiemis tempore, caesaries aestate servetur. Fasciae, quibus nutrices utuntur, ut abdomen pueruli cingant, primis tantum vitae diebus sunt concendendae, in posterum nil prosunt nisi hernia abdominalis adsit.

Indusia largiora, quae retro aperiuntur, praestant, nam facilius mutantur, quin digitorum aut etiam artuum infantis distorsionem juvent. Acus studiosissime vitentur. Qui fasciarum

usum suadent, sustinent quod motus infantis liberi vitia conformationis facilius producant; id vero logicae experientiae opponitur, exercitium enim artuum evolutionem juvat. Fasciae aliaeque vestes magis strictae ut a frigoris insultu infans defendatur necessariae non sunt, nam etiam largiores ad id conferunt, et praeterea, si vestes nimis corpori adhaereant, difficilius ab immunditiis infans detergitur. Larga tunicula lini, cui alia e lana confecta pro varia tempestate adjungi potest, prae ceteris vestibus est commendanda.

Aetate progrediente longius indusium adhibetur, eademque vestis, quae superius solummodo parumper stringitur, et varia ex materia pro diversa tempestate formatur. Eadem vestis et mari et feminae convenit, donec vestimenta sexus peculiaris propria accipiant.

Tum eaedem conceduntur vestes, quae in posterum conveniunt; monendum solum est quod nunquam motus impediant, quod omni opera thoracula rejicienda sint, quod vestimenta cavitates non comprimant organa praestantia colligentes, quod frequentissime mutentur ut mundum corpus servetur, et denique quod minoris sint pretii, ne timor vestis foedandae aut lacerandae infantem ab exercitio atque jocis amoveat, quae corporis evolutioni

non modo et bonae valetudini, sed etiam animi hilaritati favent.

Lotiones et balnea, quae in pueris a plerisque commendantur, varium pro varia temperiae aliisque pluribus circumstantiis effectum exerunt. Balneis et lavationibus medicatis omissis, ad remedia enim non ad hygienica agentia pertinent, de simplicibus loquimur.

Balnea calida, quaeque de balneis dicimus etiam de lotionibus partialibus intelligenda sunt, bene inserviunt si corpus detergere, si cutis functionem excitare velimus. Attamen usus longe productus horum balneorum cutem debiliorem reddit, magis sensibilem et stimulorum impatientem. Hoc sub adspectu aqua tepens longe est praeferenda. Si vero sensim sensimque aquae tepenti frigidam substituere valeamus plures utilitates accipimus. At non statim balneum frigidum est adhibendum; sed a tepente ad frigidam usque variare debet fluidi temperies donec frigori infans assuescat. Sub balneorum frigidorum usu cutis validior fit, meliusque externis resistit, talique modo difficilius ab atmosphaerae vicissitudinibus male afficitur, uti facile in illis contingit, qui delicatulam cutem praesentant. Natatio balnei utilitatem auget; de hoc vero argumento in posterum.

Quidam unctiones et frictiones suadent, nos

vero rejicimus ni peculiaris indicatio adsit — prae ceteris frictiones aromaticae nocent, nimis enim cutem excitant sensilioremque efficiunt.

Recens natus vitam sugendo et dormiendo transegit: clare inde patet cujus momenti sit alimentorum et potuum infantis selectus. Pluries maternae lactationis utilitates, et damna, quae ex lactatione a mercenaria nutrice peracta procedunt, exposita sunt. Attamen non adhuc matres omnes salutare praeceptum amplectuntur, naturae leges despicientes. Reapse Natura matribus lactationem infantum committit idque mammalia omnia nos docent, idque rudes populi constanter ostendunt, in quibus tum solum lactatio nutrici committitur quum morbus vel conformationis vitium matri lactationem neget. Maternum lac est nutrimentum infanti indispensabile; ipsius enim constitutioni optime respondet et pro varia puerperii aut lactationis periodo varias assumit qualitatates, quae egregie conveniunt mutationibus, quae in infantis evolutione locum habent. Ita primis puerperii diebus colostrum secernitur, tenue alimentum, quod purgantem quoque exerit virtutem, et ad amussim neonato convenit nam hic debilibus viribus suis spissius alimentum sufferre nequit, et praeterea meconium eliminandum habet. Dein lac spissius fit ita ut

nutritionem validioris infantis explere possit. Praeter filii utilitates etiam matris bona valetudo lactationem maternam suadet, tali enim ratione plura incommoda feminae vitare possunt.

Si vero causae summi faciendae matri lactationem impediant, nutrici infans committatur, cujus partus epocha respondeat parvuli aetati, quae bona gaudeat valetudine, et ad matris constitutionem vel maxime accedat. Si nutrix hisce praedita qualitatibus desit etiam lactatio ope lactis vaccae, asinae aut caprae institui potest; hic vero monendum est quod suctio immediata ab animalis uberibus praestet; nam lac emulsum et dein propinatum vitalitate caret, quae quam maxime assimilationem et nutritionem juvat. Quum animalia ad lactationem perficiendam adhibeantur capra praefertur; mammarum enim papillam, quae sugentis labiis melius respondet, lacque bonae notae offert, et praeterea infantem sugentem amore fere materno prosequitur, ita ut diligentissima illius lacrymis subveniat. Si lac emulsum adhibeamus initio tenuius redditur ope aquae admixtae, dein purum propinatur.

Lactis sugendi tempus pro infantis viribus et fame differt. Si parvulus fame teneatur nutricem oculis continuo tuetur, digitos sugit vel

linguam, salivam copiosam edit. Quum ubera inspiciat avide papillam labiis stringit. Haec signa, fame deficiente, desiderantur. A fame ergo sugentis non ab hora praefixa tempus lactationis indicatur.

Donec dentes desiderantur lac maternum sufficiens nutrimentum puerulo praebet: tum vero vires digerentes augentur aliaque alimenta adhiberi debent. Tenue papparium tum lacti adjungendum. Id quoque non raro convenit etiam prius quam dentes evolvantur, si nutrici lac deficiat, idque saepe accidit si abundantes fluxus menstruos sub ipsa lactatione nutrix patiatur, vel utero gerat, sub ultimis tamen gestationis mensibus solummodo. Hic notandum quod, etiamsi lactans menstruationi obnoxia sit, donec bona gaudeat valetudine, vel primis novae gestationis periodis, nutrix non sit mutanda.

Exacte epocham, qua lac puerulo subtrahendum est, praefinire non possumus. Id frequenter a duodecimo ad decimum quintum mensem contingit; nos vero notamus quod hocce alimentum negare possumus infanti, quum viginti vel viginti duos dentes offerat, et musculos validiores, faciem laeto colore notatam, oculos vivaces, uno verbo quum salutis indicia praesentet.

Diversis alimentis sensim puer assuescat, non subito lac deserat et cibis aliis uti discat, protracta enim lactatio nocuis effectibus non vacat.

Lacte relicto materno, lac animalium, juscula, papparia in usum trahuntur, et temporis progressu fructus maturi, legumina bonae notae administrari possunt; caro quocunque modo coquatur, parca semper manu est concedenda.

Potus infantibus conveniens est aqua simplex. Primis vero vitae periodis lac et potus et nutrimenti officium explet. Vinum, spirituosi, aromatici potus severissime prohibentur, nisi peculiaris adsit indicatio.

Alimentum parca quantitate saepius vero repetita quam maxime viribus digerentibus infantum respondet, quae promptae quidem sunt, parum vero activae. Nutrimenta quae arte adpetitum cient non sunt concedenda; nam infantes saepissime ut gustus sensui satisfaciant errores diaeteticos committunt. Dummodo sanitati nutrimenta faveant bene conveniunt, et vera fames alimenta, quae parum gustum oblectant, non respuit. Hora ad cibum sumendum praefixa non est laudanda.

Medicaminum abusus in infantibus summo studio est vitandus. Non raro matres sua sponte medicamina porrigunt, quae ut plurimum

damni sunt. Huc referuntur emetica, purgantia, anthelminthica, sopientia et similia, talique pacto parvulus remediis assuefit ita, ut in posterum, quum realis adsit indicatio doses majores et praeparata activiora requirat; nec raro incommoda ex remedio prodeuntia praecedentia superent. Saepissime diaeta, quies, potus copiosi, balnea diversae temperiei aliaque simpliciora auxilia effectum desideratum praestant, quem medicamina porrecta avertunt. Nunquam ergo sine medici consilio medicamen sumatur; si vero hoc praescriptum sit, id mater non fletu aut deprecationibus, vel jocos aut tragemata promittendo propinet, ut jam initio necessitatis leges infans agnoscat, nec pertinaciter in posterum aegrotans auxilia recuset, et ita, ut saepissime videre est, mors si contingat ex pervicaci remedii rejectione pendeat et fere suicidium constituat, ex nimia atque imbecilli matris indulgentia procedens.

Summa cura mater infantis excretionibus prospiciat. Puer vix natus cutem offert substantia sebacea obductam: lotiones repetitae ope aquae tepentis, vel decoctionis furfuris, vel solutionis saponis ab hac substantia neonatum liberant. Frictiones, balnea, lotiones cutaneae perspirationi favent. Si meconium per aliquod tempus in intestinis restet turbas plures ciere

potest. Ut vero ipsius evacuationi provideamus colostrum confert; si tamen lactatio a nutrice perficitur vel artificialis sit, aqua cum melle, oleum amygdalarum, serum lactis vaccini vel syrupus cichorei cum rheo huic scopo inserviunt. Caloris augmentum, frictiones in hypogastrio lotium movent. Diarrhoea primis diebus occurrens, vel dentitionis tempore, diaeta et largo potu vincitur. Crustae in capite aliaque exanthemata illa in regione difficile evolvuntur si caput nullo tegatur indumento. Si vero adsint, ipsis lotionibus ex aqua, ex decocto furfuris, ex infusu violarum, ex solutione saponis subvenimus. Munditiem diligentissime servando, caput saepissime pectendo, lavationibus ex superius relatis substantiis pediculi fugantur, minime vero inunctionibus irritantibus. Sola mundities saepe otorrhoeam vincit.

Quies et motus hominis vitam occupant, ut vero salus servetur hi duo status proportionem quamdam sequi debent, excessus enim semper nocet. Neonatus vix perspicuos motus edit, hi vero manifesti in posterum fiunt, sub musculorum evolutione. Mater ergo prudens, naturae nutui obediens, motus infantis non impediat, nec inconsiderate promoveat. Si enim motus et musculorum exercitium evolutionem corporis juvant, quum naturaliter perficiantur, exer-

citia incongrua et praecocia variis conformationis vitiis favent. Pueri ergo per se ambulant quin illos magister id doceat. Dum pueri adhuc gestantur curandum ne fortiter contra pectus gestantis premantur, nam hae pressiones incurvationes, distorsiones artuum et praesertim pelvis aberrationes producunt. Quo minus infantes gestantur eo melius: sic vitanda est ratio gestandi in hisce locis usitata, qua dorsum infantis pectori apprimunt, brachiis vero abdomen illius stringunt.

Dein gymnastica exercitia quam plurimum prosunt ad evolutionem corporis juvandam. Mares non modo sed etiam feminae hisce exercitiis indigent; tali pacto corpus robustum, agile fit, et excedentem pinguedinem vitamus. Inter gymnastica exercitia natatio, cursus, saltus praecipuum locum merentur. Equitatio quoque est laudanda sed melius adolescentibus convenit. Infantum ludus vires physicas adjuvent et motui faveant.

Gymnastica exercitia, juxta doctorem Londe, in suo opere *Gymnastique médicale*, 1.° bonam valetudinem servant et physicarum virium evolutionem juvant, 2.° conformationis quaedam vitia, quae saepe disponentem causam morborum crudelium constituunt, corrigunt, 3.° aequilibrium restituunt inter varias corporis partes, quod a praevalente evolutione alicujus or-

gani destruebatur, 4.° auxilium boni ominis in pluribus morbis promittunt.

Mentis praecox intentio damnanda est; etenim ex hac causa saepe infirma valetudo originem repetit, nec raro, qui praematuram evolutionem facultatum mentalium ostendunt, corpore tenello, delicatula constitutione distincti cito mortem occumbunt.

Infantes summopere somno indigent; sub somno enim vita animalis quiescit et vegetans perficitur. Naturae ergo nutus sequantur, tranquille dormiant donec sponte expergefiant, non strepitu aut terrore perculsi.

Ut somnum concilient infantibus aliquando nutrices syrupum diacodii aliaque narcotica administrant; hic usus rejiciendus est, quies inde procedens ebrietatis aut narcoseos stupor est, nec infrequenter veneficium hisce ex sopientibus contigit.

Agitationem quoque in cunis, ut somnus cieatur, non suadeo; nam ita cerebrales congestiones, vertigines, convulsiones facillime locum habent. Cunae stratum habeant ex lana aut stramine confectum. Quum lecto incumbat infans, e posterioribus vel lateralibus partibus lux illum non pertingat, nec objecta ad latera adsint, quae illius attentionem penitus occupando strabismum juvent.

Pervigilium, quavis in vitae periodo nocens, summa cura infantes vitent.

Qui physicam infantum educationem suscipit ignorare non debet plures inter physicum et morale relationes intercedere. Quapropter de affectibus quoque hic loquendum existimo. Ira, zelotypia, timor a primis usque umbiculis originem repetunt. Summo studio nitatur institutor ut hosce affectus praecaveat, si enim invalescant physicam infantis constitutionem laedere valent, et illius futurae existentiae pacem turbare. Nec opponant quod haec pathemata, hi affectus non tam cito habeantur, quid enim ut plurimum indicant, priusquam ipse verbis exponere valeat, quae sentit, infantis lacrymae et ejulatus, quum nec a physico dolore nec ab ulla necessitate procedant?

Qui recte clamores infantis ab ira vel impatientia procedentes distinguit futilibus desideriis ejulantis non satisfaciat, ne in posterum ipse cuncta sui ipsius imperio aut lacrymis cedere debere putet. Desideriis vero pueruli semper adversari nocet: ipsi justitiae et necessitatis legibus non imbecillis mulierculae libito obtemperent. Ut vero dociles fiant praestat quod pater vel magister, quum gradum aliquem evolutionis facultatum mentalium infantes attigerint, justas logicas rationes exponant, quia arbitra-

ria potestas injustitiae dubium relinquit et semper offendit.

Zelotypia saepe pueros affligit, et plures ex hac causa occumbunt. Infans zelotypia detentus silentium servat, solivagus socios jocosque fugit, adpetitum amittit, colorem pallidum assumit, nutritionem miseram ostendit et, summa debilitate atque febri accedentibus, prae omnibus auxiliis neci irreparabili occumbit.

Terror saepissime epilepsiam, maniam, mortem ipsam in infantibus parit; idque eo facilius contingit quo magis nervosa irritabilitas praevalet. Ex hoc facile intelligimus quantum interest quod nunquam infantes terrore voluntario percellantur, atque ita sensim sensimque omnibus naturae solitis et insuetis phaenomenis assuefiant ut in posterum nullam terroris causam agnoseant.

Quidam parentes infantes committunt famulabus stultissimis, quae lugubres historias phantasmatum, manium parvulis ut somnum concilient narrant, hique semper pusilli sub somniis lemures audiunt, vident, et tenebris accedentibus trepidantes perhorrescunt. Quot nevroses ex hac causa!

Quaestio adhuc perstat an poenae corporeae infantibus infligendae sint. Poenis vero relictis crudelibus, quae temporibus praegressis adhi-

bebantur, quid restat in poenis hodiernis? dolor qui rapide fugit, et simul ipsius memoria evanescit. Curnam poenae infliguntur? ut infans sui erroris poenitentia correptus corrigatur; idque facilius obtinemus si morales poenas injungimus, ignominiam verbi gratia, dedecus et similia. Exemplum quoque et aemulatio virtutis amorem infantibus instillant. At aemulatio nonne mater est zelotypiae? id verum fors est; attamen zelotypiam, cujus finis et desiderium est sui ipsius emendatio, contemnendam esse non arbitror.

Exigui operis mei finem attingo. Ingenii defectus exponentis veritatem praeceptorum non excludit. Physica infantum educatio magni ponderis argumentum est, ab ipsa enim sors futura adulti et totius societatis bonum derivat. Mater revera quae exacte filiorum educationi operam navat uxoris munera non respuit, nec pater familiae officiis animum intendens societatis legum obliviscitur, nec filii tali ratione educati grati animi impulsus rejicere posssunt. Me felicem si aliqua utilitas ex hoc scripto redundet!

THESES DEFENDENDÆ

I.

Educatio physica a morali sejungi nequit.

II.

Sexus distinctio nop prima conceptione sed sub embryonis evolutione succedit. (Tiedemann.)

III.

Abundantia seri in sanguine extracto saepissime novam venaesectionem non prohibet.

IV.

Nullo medicamine venaesectio interdum suppleri potest.

V.

Quidquid serius contingat, primo ictu pathemata omnia uti excitantia agunt.

VI.

Inflammationes intermittentes admittere absurdum.

VII.

Quies prae motu in corde praevalet.

VIII.

Aneurysmatum causa praecipua in difficultate, qua arteriarum parietes extenduntur, consistit.